Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

174

per filium reuelari.

t cxx v m cxxxiiii ET CONUERSUS AD DISCIPULOS DIXIT. BEATI OCULI QUAE UIDENT QUAE UOS UIDETIS.
Non oculi scribarum et pharisaeorum qui corpus tantum domini uidere. sed illi beati oculi qui eius possunt cognoscere sacramenta. de quibus dicitur. Et reuelasti ea paruulis; beati oculi paruulorum quibus et se et patrem filius reuelare dignatur.

DICO ENIM UOBIS QUOD MULTI PROPHETAE ET REGES UOLUERUNT UIDERE QUAE UOS UIDETIS ET NON UIDERUNT. ET AUDIRE QUAE AUDITIS ET NON AUDIERUNT.

m Abraham exultauit ut uideret diem Christi et uidit et gauisus est. Esaias quoque et Micha et multi alii prophetae uiderunt gloriam domini. qui et propterea uidentes sunt appellati. sed hi omnes a longe aspicientes et salutantes. per speculum et in aenigmate uiderunt. Apostoli autem in praesentiarum habentes dominum conuescentesque ei. et quaeque uoluissent interrogando discentes. nequaquam per angelos aut uarias uisionum species opus habebant doceri; Quos uero Lucas multos prophetas et reges dicit. Mattheus apertius prophetas et iustos appellat; Ipsi sunt

XLIII t cxxi II m cxciii m cvii enim reges magni qui temptationum suarum motibus non consentiendo succumbere. sed regendo praeesse nouerunt.

ET ECCE QUIDAM LEGISPERITUS SURREXIT TEMPTANS EUM. ET DICENS MAGISTER QUID FACIENDO UITAM AETERNAM POSSIDEBO;
Legis peritus qui de uita aeterna dominum temptans interrogat. occasionem ut reor temptandi de ipsis domini sermonibus sumpsit ubi ait. gaudete autem quod nomina uestra scripta sunt in caelis. sed ipsa sua temptatione declarat quam uera sit illa domini confessio qua patri loquitur. quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et reuelasti ea paruulis.

AT ILLE DIXIT AD EUM IN LEGE QUID SCRIPTUM EST QUOMODO LEGIS. ILLE RESPONDENS DIXIT; DILIGES DOMINUM DEUM TUUM EX TOTO CORDE TUO. ET EX TOTA ANIMA TUA. ET EX OMNIBUS UIRIBUS TUIS. ET EX OMNI MENTE TUA. ET PROXIMUM TUUM SICUT TE IPSUM.
Cum legis perito respondet perfectum nobis saluator iter uitae caelestis ostendit. cui primo de dilectione dei et proximi legis scripta proponenti [illegible] dicit;

RECTE RESPONDISTI. HOC FAC ET UIUES
Deinde post inductam parabolam respondenti illum fuisse proximum uulnerato. qui fecit misericordiam in illum. et adiecit. uade et tu fac similiter. id est tali misericordiae studio proximum tuum necesse habentem diligere et sustentare memento aptissime declarans solam esse dilectionem et ipsam non uerbotenus ostentatam sed operis executione probatam quae perpetuam ducat ad uitam.

t cxxii x sot ILLE AUTEM UOLENS IUSTIFICARE SE IPSUM. DIXIT AD IHESUM; ET QUIS EST MEUS PROXIMUS
Quanta inanis gloriae dementia legis peritus ob uulgi fauorem captandam quo sapienter respon